



OBSERVATIONVM ECLECTICARVM  
DE  
METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA  
SPECIMEN V. THEOLOGICVM.

§. I.

Quo majoris sunt momenti Philosophicæ de DEO, summo nostro Bono, summo autore & legislatore, doctrinæ, eo majorem desiderant *ακρίβειαν*.

Ergo scripta Theologiam Naturalem minus accurate pertractantia magis merentur libris prohibitis annumerari, quam ipsi libri impii, cum primis si cum solidis animadversionibus & refutationibus isti publicentur. Etenim proclivis ad Atheismum vel Deismum litteratus, sicubi objectiones impias primura recensitas, post male refutatas legerit, facillime illas arripiet magisque roborabit, per ineptas autem refutationes a veritate deterrebitur: cum minus proclivis ad hæc absurda vel sola lectione solorum profanorum dogmatum dissolutas scopas & absurda supposita non possit non advertere, adeoque ab ipsis abhorrere & in opposita veritate confirmari.

§. II.

Eum in finem consultum, imo necessarium est, in singulis argumentis Atheum aut Deistam sibi ob oculos ponere, atque in probationibus ea uti circumspectione, ut ab incusationibus vitiorum cum aliorum, tum præcipue Petitionis Principii immunes sint, et adversarios e contrario convincere possint.

Alias facillime evenire potest, ut veritates e revelatione satis nobis cognitæ levissimis atque miserrimis ratiunculis demonstrare conemur, iisque veritatem prostituamus, atque errantes in erroribus suis confirmemus, id quod sola illa misera ratiocinia, quibus nonnulli mysterium S. S. Trinitatis demonstrare voluerunt, luculenter satis comprobant.

§. III.

Quamvis argumenta ponderare magis quam numerare oporteat, in hoc tamen gravissimo objecto cujus cognitio ad omnes omnino homines pertinet, a) numeri est habenda ratio, b) si quidem plura dantur solida argumenta. c)

a) Ergo etiam ad vulgi captum accommodanda est Theologia Naturalis.

E

b) Tanta